134. 243.

Clarissimo Eruditissimoque Viro
Gottlieb Cortio
s. d. p. J. P. D'Orville

Dum indies nuntium Florentia exspecto, qui me edoceat, quid de Pliniani codicis collatione sperandum sit, ut te de hac caussa certiorem facere possem, respondendi vices, amicissime Corti, longius distuli, quam par erat, atque ipse volebam. Nolui tamen ulteriores moras trahere, ne et ipse voluptate tecum per literas confabulandi diutius priver, vel tibi de mea ad studia tua adjuvandi propensione atque alacritate minus constet. Me autem scias ter jam Florentiam hac de re perscripsisse, nec caussam dilatae responsionis posse comminisci, nisi quod forsan literae Liburni detineantur ab mercatore, cui illae mitti solent,

atque ille has una cum libris quibusdam mari
mihi transmittendas destinet. ipsam autem col-
lationem me consecuturum esse, vix dubito; id
unum metuo, ne aliquando tardius voti com-
potes fiamus, quam vel tua vel librarii res ferunt,
aut ego sperassem, & optassem. Illum enim com-
peri huic editioni nullam moram facturum es-
se, simul ac tuas curas acceperit; te autem pa-
ratissimum esse tuae me literae docent. Non
dubito, quin a Clarissimo Burmanno collatio-
nes Leidenses obtinueris. quod in me fuit, eum
non semel tuae causae commonefeci. Cum
nec Leidae, nec Ultrajecti fuerim, Gronovium
non tentare potui. Scripseram Neapolim;
at amici frustra mihi gratificari voluerunt.
nihil enim membranarum ad hunc auctorem
spectantium ibi invenitur.

Elegantissime mihi videris locum illum ex XXIV^ta
epistola L. VIII^vi restituisse, & redintegrasse. quomi-
nus tuae emendationi in secunda libri primi ac-
quiescam, facit rara librariorum in auctorum
textum voces inserentium liberalitas; cum sint
procliviores in necessariis omittendis, negligendisque

quare non facile duo vocabula haec expunxerim;
nisi plurium codicum accedat consensus. posset
nimirum illud tam retineri, et forsan non
incongrue in tantam mutari. nam vim tan-
tam verborum. at tu ignosce, optime Corti, inge-
nuitati & libertati meae.
Occasione data ad Waesbergium aliquid mitten-
di, rogo, si ita placet, adjungas bibliothecae Pau-
linae indicem. quod debes, ei reddam. Septimus Lam-
beciani laboris tomus, vellem, ut mihi incideret in
manus.
Catullum Langermanni manu notatum non
vidi. libens illas reliquias acceperim, modo
tuo cum commodo fiat. Non admodum de Catulli
editione sollicitus sum: praesertim cum Musage-
tes ille Vulpius hanc dicatur in se curam sus-
cepisse. facile tamen credas, eum non impedi-
turum esse, quo minus, quandocumque collubuerit,
de Catullo publicando cogitationem exsequar. Jam
Bronkhusii curae postumae in eum poëtam sunt pe-
nes me: si quid iis aliunde et a me accesserit, pro
penuria codicum veterum, non spernendam ἔκδοσιν
adornari posse confido. Sed reduci ex tam longo itinere
aliquid otii indulgendum, priusquam de talibus serio cogitetur.

244v

de Societate illa auctorum procudendorum, nec critica, nec Menckeniana methodo, quid sentiam, vel si tacuerim, perspicias facillime. ne te annumeras, mi Corti, huic calonum gregi.

Salveant a me Cl. & amicissimi viri Menkenius & Gaersnerus. frater te meus salutet. Vale, vir clarissime & amicissime, et me tuum ex asse censeas.

Amstelaedami die XI februarii
Anni. MDCCXXIX.

pauca haec boni consule, quae excerpsi ad marginem annotata Edit. Steph[ani] Amsteloda[mensis]
Anni MDCL. quae Perizonii fuit.

de hoc plinio & Massilia & Hist. p. 227.

L.1.E.2. Marci nostri ληκύθους. f. Ciceronis. patet ex τῷ ληκυθίζε. & Turneb. & Budaeus.

E.5. Satrio Rufo / f. Stephan. praef. p. 18. 15. & cui.

Ep. 8. nobisne tantum. / Stephan. praef. 14.

Ep. 14. Terranam proculam / Paul. Ligat. de Plinii patria 16. 17.

Ep. 24. Caebio / f. fabio.

qua vocet f. alii Ed. qua avocet.

L.2.3. pascit controversias / Perizon. super. Obser. 3. 20.

Ep. 11. Septuaginta millia quae acceperat / Septingenta, p. 60.

E.17. ut horrea singula et altius panciores f. alteris.

L.4.3. de hac Epist. Paul. Ligat. de Plinii patria p. 162.

L.10.20. censuisses tacendum / L. agendum.

Ep. 28. quam cum maximo tractu / L. cum maxime.

Ep. 46. Sestertium (triginta millia) trecenta novem / f. tricies.